



BIBL. DO MUSEU
Nº 798
Est. ✓
Tab. ✓
Coimbra

INST. ANTR.
N.º 1221
Est. B
Div. 3
Tab. 3
COIMBRA





**ARISTOTELIS
OPERA.**

СЛЕНГОГІЯ
А Я Е П О


ARISTOTELIS OPERA OMNIA, GRÆCE ET LATINE.

DOCTISSIMORVM VIRORVM INTERPRETATIONE
& notis emendatissima, & nunc tandem in quatuor Tomos distributa.

GWILLELMVS DV-VALLIVS REGIS CHRISTIANISSIMI CONSILIARIVS
& Medicus tertio recognouit, Synopsin analyticam adiecit, nouis disquisitionibus,
notis, & Appendicibus illustravit.

CVM TRIBVS INDICIBVS.

Quæ huic Editioni accesserunt pagina proxima indicabit.



PARISIIS,

Apud { IOANNEM BILLAINE.
SIMEONEM PIGET. } Viâ Iacobeâ.
FREDERIC. LEONARD. }

M. DC. LIII.

Dabimur de doct. deo Congreg. Regularis
CVM PRIVILEGIO REGIS.



СИЛЛОГИСТИКА АДИМО АЯНЮ

СИЛЛОГИСТИКА

СИЛЛОГИСТИКА
АДИМО АЯНЮ

СИЛЛОГИСТИКА

СИЛЛОГИСТИКА



СИЛЛОГИСТИКА
АДИМО АЯНЮ
СИЛЛОГИСТИКА
АДИМО АЯНЮ
СИЛЛОГИСТИКА
АДИМО АЯНЮ

СИЛЛОГИСТИКА

СИЛЛОГИСТИКА
АДИМО АЯНЮ



CATALOGVS SIVE SERIES TRACTATIONVM

NOVARVM, QVAS GVILLELMVS DV-VALLIVS

Auctor Synopseos, nouissimæ huic editioni addit, & propædiam nouam partim, partim Appendices nouas ideo appellauit, quòd prioribus desint Editionibus.

- I.  Ropædia noua ad Philosophiam, sive Appendix ad Apparatum, in duas columnas distributa.
De Temperamento ad philosophandum idoneo.
Pag. 28. Synops. Tom. I.
- II. Appendix noua ad Anthologiam Anatomicam De statu Aristocratico, sive Aristocratia Humani corporis. Pag. 49. Synops. Tom. II.
- III. Appendix noua ad Lib. I. Politicorum Aristotelis, questiunculas sive disquisitiones complectens selectiores. Pag. 37. Synops. Tom. III.
- IV. Appendix noua ad Lib. II. Politicorum questiunculas complectens selectiores. Pag. 46. Synops. Tom. III.
- V. Appendix noua ad Lib. III. Politicorum, questiunculas complectens selectiores. Pag. 59. Synops. Tom. III.
- VI. Appendix noua ad Lib. IV. Politicorum. Pag. 7. Synops. Tom. III.
- VII. Appendix noua ad reliquos libros Politicorum, pag. 89. Synops. Tom. III.
- VIII. Appendix noua ad sectionem XI. Problematum Aristotelis sive De Voce, ut ad Medicinam pertinet ΣΧΕΔΙΑΣΜΑ ΙΑΤΡΟΛΟΓΙΚΟΝ. Pag. 2. Synops. Tom. IV.
- IX. Praefatio parænetica ad Phytologiam. Pag. 50. Synops. Tom. IV.
- X. Compendium Phytologicum, sive Doctrina de Plantis, generali ac expeditiore methodo nunc-primùm explicata, ad duos libros περὶ φυτῶν Aristoteli falsò adscriptos.

XI. Quā tamen sub decimā potest contineri, est Lexicon sive voca-
bularium Phytologicum.

XII. Est Ἐπίμετρον sive Auctarium ad Synopsin, notas exponens se-
lectiores.

Fol. vlt.

ΣΥΝΟΛΟΣ ΚΑΤΑΓΕ

ΣΙΝΗ ΣΕΡΙΣ ΤΡΑΓΑΤΩΙΟΥ

ΜΟΝΑΡΧΑΝ, ΟΒΖ ΓΑΛΙΤΕΛΛΑΣ ΔΑ. ΑΛΦΙΑΣ

ΑΝΤΙΓΟΝΟΣ ΣΥΝΟΠΕΙΑ, ΗΟΥΛΙΑΝΗΣ ΠΗΓΗΣ ΕΠΙΤΟΙΗΣ, ος βιο-

Λεξικων ΜΟΝΗΣ ΠΑΤΡΙΩΝ ΠΕΡΙΓΡΑΦΕΙΑΣ ΛΟΓΩΝ ΙΗΣΟΥ

ΣΟΦΙΑΝΗΣ, ΑΝΘΩΝΙΟΥ ΛΟΓΩΝ ΕΠΙΤΟΙΗΣ ΠΕΡΙΓΡΑΦΕΙΑΣ

Ιανουάριον την πρώτη, σταθερότητα την Επιτοίην μεταβολήν
παρατητέονται, την οποίαν την αποτελεί το έργον της Αντιγονής.
Επειδή δε το έργον της Αντιγονής παρατητέονται, την οποίαν την Αντιγονής

παρατητέονται, την οποίαν την Αντιγονής παρατητέονται, την οποίαν την Αντιγονής

παρατητέονται, την οποίαν την Αντιγονής παρατητέονται, την οποίαν την Αντιγονής

παρατητέονται, την οποίαν την Αντιγονής παρατητέονται, την οποίαν την Αντιγονής

παρατητέονται, την οποίαν την Αντιγονής παρατητέονται, την οποίαν την Αντιγονής

παρατητέονται, την οποίαν την Αντιγονής παρατητέονται, την οποίαν την Αντιγονής

παρατητέονται, την οποίαν την Αντιγονής παρατητέονται, την οποίαν την Αντιγονής

παρατητέονται, την οποίαν την Αντιγονής παρατητέονται, την οποίαν την Αντιγονής

παρατητέονται, την οποίαν την Αντιγονής παρατητέονται, την οποίαν την Αντιγονής

παρατητέονται, την οποίαν την Αντιγονής παρατητέονται, την οποίαν την Αντιγονής



INDEX EORVM QVÆ ARISTOTELIS PRIMO TOMO CONTINENTVR.

Synopseos Analyticæ vniuersæ doctrinæ peri-	G. Du Val author hanc ultimam
pateticæ pars prima, in hac vltima editione	editionem media parte auxit,
plusquam mediâ parte auctior, correctior	correxit, illustravit.
& illustrior.	
Porphyrij Institutiones lib.	I.
Categoriar.	I.
De interpretatione,	I.
Analytica priora,	II.
Analytica posteriora,	II.
Topica.	III.
De reprehensionibus sophistarum,	VIII.
Physicæ auscultationis siue de motu,	VIII.
De cælo,	IV. Io. Argyropyllo Byzantio interp.
De generatione & corruptione,	II. Fr. Vatablo interprete.
Meteorologicorum,	IV. Nicolao Leonico interpr.
De mundo,	I. Guillelmo Budæo interprete.

QVÆ SECUNDOM TOMO.

Synopseos Analyticæ vniuersæ doctrinæ peri-	G. Du Val author hanc ultimam
pateticæ pars secunda, in hac vltima editio-	editionem media parte auxit,
ne plusquam mediâ parte auctior, corre-	correxit, illustravit.
ctior & illustrior.	
De anima.	III. Julio Pacio à Beriga interprete.
De sensu & sensili.	I.
De memoria & reminiscentia.	I.
De somno & vigilia.	I. Fr. Vatablo interpr.
De insomniis.	I.
De diuinatione per somnum.	I.
De communi animalium motione.	I. Nicolao Leonico interpr.
De longitudine & breuitate vitæ.	I.
De iuuentute & senectute, vita & morte, &	Fr. Vatablo interpr.
respiratione.	I.
De animalium incessu.	I. Nicolao Leonico interpr.
De spiritu.	I. Incerto interprete.
De historia animalium.	X. Theodoro Gaza interprete, excepto
De partibus animalium & earum causis.	IV. libro X. Historiarum, cuius in-
De generatione animalium.	V. terpres Julius Cæsar Scaliger.
De miraculis auditis.	I. Incerto interprete.
Physiognomonicorum.	I.

Quæstionum mechanicarum.
De iis quæ sub auditum cadunt.
De coloribus.
De lineis inseparabilibus.
Paraphrasis libri De lineis inseparabilibus.
De Xenocrate, De Zenone, De Gorgia.
Ventorum regiones & nomina.

- I. Nicolao Leonico interpr.
- I. Adriano Turnebo interpr.
- I. Celio Calcagnino interp.
- I. Jul. Martiano Rota interpr.
- Iacobus Scheckio interpr.
- Joan. Bernardo Feliciano interp.

QVÆ TERTIO TOMO.

Synopseos Analyticæ vniuersæ doctrinæ peripateticæ pars tertia, in hac vltima editione plusquam mediâ parte auctior, correctior & illustrior.

Ethicorum Nicomachætorum Lib.
Magnorum Moralium.
Eudemiorum.
De Virtutibus.
De Republica.
Kyriaci Strozæ Politicorum.
De cura rei familiaris.
Artis Rheticæ.
Rheticæ ad Alexandrum.

- X. D. Lambino interprete.
- II. G. Valla Placentino interprete,
- VII. Incerto interprete.
- I. Symeone Gryneo interprete.
- VIII. D. Lambino interprete.
- II. Ioachimo Camerario interprete.
- III. Antonio Riccobono interprete.
- I. Francisco Philelpho interprete.

QVÆ QVARTO TOMO.

Synopseos Analyticæ vniuersæ doctrinæ peripateticæ pars quarta, in hac vltima editione plusquam mediâ parte auctior, correctior & illustrior.

De Poetica Lib.
Problematum Sectiones. XXXVIII.
Metaphysicorum. XIV.
De Plantis. II.
De secretiore parte diuinæ sapientiæ secundum Ægyptios. XIV.

G. Du Val author hanc ultimam editionem media parte auxit, correxit, illustravit.

Index Authorum qui suis laboribus ac lucubrationibus Aristotelis libros ac philosophiam conati sunt illustrare.

Index alter quo declaratur quid sit à quoque è superioribus interpretibus in singulas Aristotelicæ Philosophiæ partes scriptum.

Index rerum & Verborum quæ notatu digniora, in Aristotelis operum IV. tomis continentur.

Hosce indices Guillelmus du Val Pontiz aranus author nouæ huius & auctæ synopseos lucubrationibus suis adornauit.





TYPOGRAPHVS LECTORI CANDIDO.

DN his interpretibus eligendis quos Graeco contextui adiungemus, ea fuit, Lector candide, mens nostra, id consilium, ut optimos quoque & maxime in celeberrimis Academiis probatos interpres asciceremus, spretis iis qui vel impolitiores erant vel minus fideles. Itaque, et si non id nobis sumimus, ut de doctorum virorum versionibus ferre sententiam velimus; non dubitamus tamen, aquum & peritum iudicem in plerisque libris esse nosquod propositum erat, consecutos, iudicaturum. At contrà libri non pauci fuere in quibus nobis aqua hesit. Nam aut nullos omnino reperiebamus quorum versio vel tolerabilis videretur; aut eorum certè copia nobis non erat: aliunde autem ut afferrentur, curare, hoc præsertim rerum statu, perquam erat difficile. In ijs igitur libris quod unum potuimus, præstitimus: hoc est, qualescumque interpretationes erant quas nancisci potuimus, eas adiecimus, ne si pars operis sine interpretatione prodiisset, deformè aliquid & iis minus utile, quorum studiis hac nostra editione consultum voluimus, extitisset. Porro quæ sunt à nobis in hac editione præstata, ne te diutiùs morer, ipse comparatione priorum editionum aestimabis. Vale candide & beneuole Lector, ac laboribus nostris fane.



SUMMA PRIVILEGI.

CA V T V M est auctoritate Christianissimi Regis Francorum & Nauar-
cræ Ludouici XIII. ne quis in regno Franciæ, Guillelmi Du Val Philosophiæ
Græcæ & Latinæ in Parisiensi Academia Regij Professoris & Doctoris Medicj tra-
ctatum cui titulus est, *Synopsis analyticæ doctrinæ Peripateticæ*, seu operum omnium
Aristotelis, vñâ cum appendicibus atque in Aristotelem commentarijs, quacumque
forma & charactere, per decem annorum spatum, ab ultimo editionis die
computandum, absque eius permisu excudere, diuendere, & distrahere au-
deat. Si quis secus fecerit, is non solum exemplarium publicatione, sed etiam
quantâ pro arbitrio videbitur pecuniâ multabitur, prout latius in ipso diplo-
mate declaratum est, dato Lutetiæ Parïs. decimâ sextâ die Feb. anno Domini
millesimo sexcentesimo trigesimo septimo.

Signatum,


DE LALANE.

Eum ipsum tractatum *Synopseos analyticæ* imprimi ac diuendi ab Egidio Morel
permisit idem Guillelmus Du Val, eumque solum vti hoc priuilegio voluit, da-
to in eam rem chirographo.

Hæc editio ad finem perducta est Calendis Decembribus anno Domini
M. DC. XXXVIII.



IVSTO ET PACIFICO
LVDOVICO XIII.
GALLIARVM ET NAVARRÆ
CHRISTIANISSIMO REGI.



CCEDENTI mihi, quantâ animi demissione ac reverentia possim, ad Maiestatem tuam, REX CHRISTIANISSIME, & Philosophiam Peripateticam, dignum Principe munus, offerenti; da quæso, hanc veniam, ut quos sapientissimi Poëtae de Rege optimo aureolos versus, insignesque veterum sententias, te pridem tenere egregiis veréque Regius factis tuis doces, eos primo hoc aditu, si placet, usurpem. Regem non faciunt opes, non vestis Tyriæ color, non frontis nota Regiae, non auro nitide trabes: Rex est, qui posuit metus, & diri mala pectoris: Rex est, insitiae potens: Rex est, cui, cum rectè faciat, charior vitâ est religio & veritas; cuius præceptor, Deus; magistra, Recta ratio; socia, virtus; adiutrices, pax, pudor, aequitas; scopus, Reipublicæ salus; cui denique, (ut verbulo complectar omnia,) una Sapientia cordi est. Enimvero de Regiâ dignitate, quam Maiestas tua felicissimè ac præclarissimè gerit & sustinet, dicere meritò licebit, quod olim nobilis Heroïna, & Phocionis Athenarum ducis fortissimi coniux, Græcylæ cuidam ex Joniâ mulierculæ suas gemmas aureaque monilia iactanti dicitur respondisse: Mea autem, inquit, dactyla, & gemmæ, totumque uxorum decus ac ornamentum meum, sapientia est, probitas & fortitudo Phocionis, optimi charissimique coniugis, quem virtus sua fecit per viginti annos Atheniensium Imperatorem. Neque enim tantæ dignitatis, quanta Regum est ac Imperatorum, splendor & gloria ex illâ rerum externarum copiâ & ornatu, fulgente, inquam, purpurâ, ex pretiosâ chlamyde, auro, gemmis, sceptro, tiarâ, diademate, aut vetere illo Persarum luxu ac delitiis, aut denique iis omnibus, quæ inani quadam ostentatione & pompâ, spectantis populi atque idiotarum perstringunt oculos; sed ex unius præsertim amore Sapientiae (quæ Pietatis, Justitiae, virtutumque omnium fons est) estimari iure debet. Si delectamini sedibus & sceptris, o Reges populi, diligite Sapientiam, ut in perpetuum regnetis, inquit Sapiens Hebreus, ipse Rex Pacificus. Est enim candor lucis æternæ, & speculum sine macula Maiestatis Dei, & imago bonitatis illius. Quasi Regnum constantia felixq; perpetuitas ab unius Sapientia cultu tota dependeat: Atque idcirco Rex ipse Regum, Deus Opt. Max. Reges omnes tanquam filiolos chariores inuitet ad Sapientiam, quod hæc à primigenia illa infinitaq; Diuitatis luce oriunda, Principum animos ita componat, illustret, instituat, ut diuinæ illius mortales, quæ humanarum gubernationum prima lex est, immētos ipsis proferat thesauros, iustas imperati artes arcanaque sanctiora suggestat & explicet, atque ex feliciore quadam Dei ipsius & rerū aliissimaru cognitione, eiusdemque supremæ bonitatis ac iustitiae imitatione, ipsi

Deo reddat quā simillimos. Hic quippe est Regiae dignitatis apex, hoc fastigium, culmēque summum, quod qui afferunt sunt, quasi Dij, ut dicebat Augustus Imperator, inter ceteros habentur. Sed et hinc profecto Regij principatus miraculum intelligitur. Quod enim unus omnibus imperet, quod unus leges condat et edicta, quod maria, terras, pacem, bella moderetur, quod unius capite tot millium capita coerceantur, et sub communi quoddam obedientiae iugum redigantur; Quod denique unum metuant omnes, amant, colant, suscipiant, et quasi Deum inter homines venerentur; Id certe non ab armorum vi esse potest Politiciue artibus, ut profani homines putant, sed maximè à diuina illa, totiusque Mundi rectrice sapientia, quam ut charissimam habent Principes; sic et in iis bonorum honorumq; copiā augendis, sese diuina prouidentia impensiū ac liberalius solet occupare. Ex quo sanè potentissimi ac gloriosissimi Regni tui, **LVDOVICE REX MAXIME**, nostrique sæculi felicitatem, quantam superior ætas obtinuit, obtinebit post te futura, mirari oportet neminem; qui eam ames, seceris, teneasque sapientiam, quæ veræ Religionis adminiculo nixa, et Regiarum virtutum satellitio stipata, immortali Deo supparem te faciat, et non modo aucto illo et sanctiore maiorum tuorum titulo nominet Christianissimum, sed et tuo ipsius magno merito, acrebus preclarè gestis (quod in hoc tuae adolescentiae primæ uofore, uniuersus orbis admiratur) **IVSTVM** atque etiam **PACIFICVM** aeternis indiget cognomentis. Quod enim veri Dei vera cognitio et cultus apud tuos vigeat, quod floreat Oriodoxa fides, stet, imò et augeatur in dies Catholica Religionis, antiqua Gallorum redeat pietas, triumphet in alta pace **Iustitia**, splendeant artes et litteræ, uiuat Academia Parisiensis, publicus luxus reprimatur, singularia nobilium certamina coerceantur, amaretur à iudicio iniquitas, virtus ametur, in honore sint sapientes, probi, seniores; ornentur etiam præmiolis eruditii: Quod denique Gallia tua Salomonis et Augusti optimis olim imperiis felicitate par atque emula sit in gloriam, omnésque quoiquot alit terra populos religione, virtute, doctrina, imò et fortunis superet et antecellat, id totum à Sapientia tua est, **LVDOVICE**, ab illis inquam, quæ tibi perpetuus litorum amator et custos Deus feliciter suggestus et inspirat, ac per integrimos et consultissimos sacri tui consistorij senes, νομοφύλαρχος, καρδιναλίους συμβολάται, significat, consiliis longè sanctoribus: ut nunc celebre illud Platonis dictum experiamur verissimum, Felicem esse Rem publicam, in qua Reges philosophentur, id est, ex Sapientiae legibus imperent, vel Philosophi regnent, id est, suis consiliis sub unius summo Principatu rem administrent. Macte igitur **REX OPTIME**, illa tua regali Sapientia; Macte illo tuo ingenio verè Philosophico, Macte veræ Religionis serio amore, clementia, bonitate; Macte tandem iustitia illa tua singulari, in qua οὐντὶς δέλε πᾶσ' ἀρεθήσι, quam nimis exillis, ut ea te non satis ornatum putas, nisi ceteris quæ ad tuam dignitatem spectant, virtutibus abundè fuerit cumulata: ut sic, honorifico aeternoque, **IVSTI**, elo-gio decoratus, optimus simul, clementissimus, sapientissimus, omnique virtutum genere instructissimus et sis et habearis. O beata igitur nostra tempora Principe **LVDOVICO**, ô beatam Ecclesiam tam pio tamque forti Christiani nominis vindice ac defensore, ô beatissimam Galliam tam iusto Rege, tam sapiente, tam augusto. Eam ob rem quod de Roma illa vetere, mundi domina, dicebat Rutilius, id de te, O **REX OMNI OBSEQUIO DIGNISSIME**, multo verius tua Gallia prædicabit:

Quod regnas minus est quam quod regnare mereris:


Excedis factis grandia fata tuis.

Jam vero cum ad sublimem illam regnandi Sapientiam, quæ pars est Philosophiae altissima ac ferè diuinissima, magnum tota Philosophia prebeat adiumentum, cuius scilicet finis sit veritas, virtus, iustitia, pax, publicaque omnium, et priuata singularum felicitas; Ecce eam tibi, **REX SAPIENTISSIME**, supplex oblatum venio, longè amplissimam, et numeris omnibus partibusque suis, quod ad fieri veterum diligentia potuit, et tempora dederunt, absoluissimam; dignum ideo, si

quod aliud, Regiâ Maiestate munus, eoque commendandum magis, quod prædē spon-
sorēmque suum præferat Aristotelem illum, Philosophorum Principem, ingeniorum ver-
ticem summum, de Philippo Macedone, de Alexandro Magno, de optimis quibusque
Regibus & imperiis, imò & de omni genere humano optimè meritum, non loqua-
cem sanè Græculum, res ineptas narrantem, aut inanes nugas ingerētem, sed virum
undeaque sapientissimum, de Deo, de Naturâ, de Moribus, virtute, beatitudine,
rebus Politicis, regnandi artibus optimis grauissimè differentem. Huius talis tanti-
que viri, qui alioquin Ethnicus, & solo adiutus naturæ lumine, unum Deum pa-
lam docuit, & inuitâ sui seculi impietate professus est; qui eumdem aeternum, im-
mutabilem, optimum, maximū, per se beatissimum, actum purum, incorporeum, infinitâ
virtute præditum, Mundi summum Rectorem, proborum hominum & sapientum ama-
torem, improborum castigatorem iustissimum esse demonstrauit; qui humanam felici-
tatem in Dei, rerumque altissimarum contemplatione, & virtutis cultu collocauit,
qui vitia omnia condemnauit, Politicas gubernationes, ad id quod iustum honestum
que est, totique Reipublicæ commodum & salutare, reuocauit, qui homi-
nis summam perfectionem ad virtutis usum perfectissimum, gradumque supremum,
radixq[ue] adiutor vocat, retulit; Huius inquam diuini Viri ac p[er]n[on] Christiani Philo-
sophiam Tibi affero vniuersam, nouis luminibus ac notis, ANALYTICAQVE
SYNOPSI, quasi admotâ ad reconditiorem doctrinam face perpetuâ, nunc pri-
mùm nostro labore auctam & illustratam. Excipe oro, REX CLEMENTISSI-
ME, ab humillimo Professore tuo, quā soles Regiâ benignitate omnia, & patere,
precor, nomine diuæ Sapientiæ, per quam beatissimè regnas, ut quemadmodum in
summis apicibus aurei illius candelabri, quod singulari suo artificio, mysticisque figu-
ris Templum Salomonis mirifice decorabat, lampades septem, quasi stellæ, fulgebant,
sacris lilijs per interieclas sphærulas innixa; sic & magni Aristotelis Philosophia (cu-
iis quot partes sunt, tot stellæ, tot lampades micant) augustissimæ tuae Maiestati conse-
crata, nostraque illâ Synopsi locupletata, Regis illis liliorum Gallicorum apicibus, tuâ
inquam auctoritate, gratiâ & fauore quasi solidiore auro mystici illius candelabri susti-
neatur. Hoc si tua bonitas & clementia concederit, spero fore ut deinceps clarissimæ
illius lampades, scientiæ scilicet omnes, tali loco positæ, non tuas duntaxat Parisiensis
Academiæ Regias scholas uberiori ac frequentiori lumine compleant ac recreent, sed
& diuinis suis nouisque splendoribus ab illo tuo Sole petitis Galliam, Europam, mun-
dum denique vniuersum, non sine gloriosâ ac sempiterna sacratissimi tui nominis memo-
ria illustrent. Sic bene vale REX IMMORTALITATE DIGNISSIME.
Lutetiae Parisiorum tuae Metropol. Anno Salutis humanæ 1618. Kal. Nouemb.

Tuæ Majestati addictissimus seruus, & humillimus
ac fidelissimus subditus.

GWILLELMVS DV VAL.



ISAACI CASAVBONI

AD CANDIDVM ET ANTIQVAE

PHILOSOPHIÆ STVDIOSVM LECTOREM

PRÆFATI O.

SÆ PENVMERO intuenti mihi in viros maximos maximisque ingenii prædictos, qui post reuocata in lucem, quæ perdiu sepulta fuerant, cùm linguarum, tum omnium liberalissimarum artium ac disciplinarum studia, effloruerunt; admiratione digna res visa est, quid causæ sit, cur in aliis quidem scientiis & disciplinis omnibus quām plurimi qui excellerent, exstiterint: in studiis verò philosophiæ, quibus humana omnis sapientia continetur, vel paucissimi. Nam quocunque te animo & cogitatione conuerteris, permultos admirabiles in quoque genere, non dicam mediocrum artium, sed etiam maximarum, & quarum cognitio difficilis meritò creditur, videbis. Ut enim de ea scientia primùm loquar quæ scientiarum omnium fastigium est & consumatio, &, ut Plato loquitur, *Apisκος ου μανιτος*, quis est quin fateatur sacrosanctæ Theologiæ exquisitam cognitionem, haud minoribus constare laboribus, quām aliæ cuiusvis scientiæ? Quis autem dubitet quin plurimos, eosque summos Theologos, & qui etiam cum veteribus patribus certare possint, nostra hæc, & patrum nostrorum ætas viderit? Iam vero cùm latissimè pateat Iuris Romani scientia, sivecum summis difficultatibus coniuncta; nemo tamen inficias ire queat, vel vnicam nostram Galliam, vt de aliis regionibus nihil dicam, summos tulisse viros qui cum antiquis Scæuolis, Laßeonibus, Africanis, & Papinianis iure merito contendi & comparati posse videantur: Prorsus vt quod sua ætate de philosophia aiebat Aristoteles, meritò nunc de Iurisprudentia licet augurari: quod tanta paucis annis accessio facta sit, breui tempore absolutam eam fore. Quid illa humani generis conseruatrix, medicina? nōne in ea quoque qui excellerent, & veterum Asclepiadarum gloriam æquarent, multos nostra hæc ætas vidit? In studiis verò linguarum, humanitatisque, ac totius antiquitatis, quæ studia etsi superioribus scientiis iure cedunt, eiusmodi sunt tamen, vt neque suis careant difficultatibus, nec sine industria saltem mediocri, diligentia verò & labore immenso, quisquam in iis possit excellere: In his igitur, quis ignorat, summos viros, ad miraculum usque doctos, omnique laude dignissimos & extitisse, & nunc quoque exstare? At verò in philosophiæ studiis excellentes viros si requiras, cùm omnia diligenter lustraueris, haud tamen scio an non iure possis Satyrici poëtæ illud *ταπαδεῖται*,

Rari philosophi: numerus vix est totidem, quot

Thebarum porte, vel dinitis επια Nili.

Imò res eò rediisse videtur, vt bene cum genere humano actum iti sit putandum, si singulis ætatibus singuli aut paulò plures excellentes philosophi, & qui tanti nominis mensuram impleant, inueniantur. Non enim de vulgari aliquo philosopho loquimur, qualium magna semper fuit copia, sed de eo qui neque illotis, vt aiunt, pedibus ad philosophiam sese contulerit: verùm iis præsidiis probè instructus, quibus quisquis fuerit destitutus, nunquam futurus est grauiorum scientiarum *εισισταγανίς*: neque de eo qui aliquam philosophiæ partem sibi selegerit, in qua se exerceat: sed qui omnibus eius partibus, quæ mirificè inter se aptæ connexæque sunt, operam nauauerit: qui denique non ex cœnoso aliquo aut lutulento rivo scientiam hauserit: sed ex limpidissimis illis purissimisque philosophiæ fontibus, præstantissimis, inquam, & omni scientiarum genere refertissimis veterum sapientum monumentis. Tales igitur Philosophos omnibus fortasse sçculis raros, sicut etiam Imperator Seuerus in rescripto quodam ait, hoc nostro autem rarissimos esse, fatendū sanè est. Maius enim profectò est philosophia, quām aut vul-

P R Æ F A T I O.

gus, aut multi etiā qui supra vulgus sapere deberent, opinentur: & quod M. Tullius de descendente, longe minori iure dicebat, pluribus ex artibus studiisque collectū: cuius splendorē & diuinitatē videntur pleriq; hodie, qui se eius doctores profitentur, nunquā animo cōcepisse. Quorū quidē videois alios in Logices gyris & mæandris miserè consenescere, neglectā interim earū rerū cognitione, absq; quibus esset, nullus Logices vsus, nulla aut necessitas, aut utilitas foret. Quò enim Logica, nisi vt aditū nobis ad sciētias, quarū iure veluti i clavis & ianua esse cēsetur, patefaciat? Alios cernas qui Naturæ arcana, quorū amoenissima est contemplatio, nō tā via & ratione, q. eorū erat munus, possint suis vel lectorib⁹, vel audiorib⁹ explicare, quām friuolis & inceptis questiuculis sese aliōsque implicare, diēsq; totos in eo cōsumere, vt de omnibus sēper dubitēt, nihil vnquā sciāt. Alii sunt, & ij quidē oppidō quā multi, qui quād linguarū aut nullā aut admodū tenuē cognitionē habeāt, etiā nunc, in tanta literaturū luce, βαλανηφαρκούτι, agrestē illā & degenerē atq; ineptā philosophiā colant: atq; etiā (quē est eiusmodi hominū scāuitas) in eruditissimos viros, qui studia sapientiæ ē situ & squalore priorū sacerdorū liberare nitūtur, insurgāt, honestissimōsq; eorū conatus vlt̄rō irrisū cant, nedū ea laude quā merētur, afficiāt. Enim vero tolerandū & quo animo fortasse istorum factū videatur, qui nō tā animi malignitare, quām ignoratione, & eorū culpa à quibus fuerūt in philosophiæ studiis erudit, errāt, præ vñsana sophistarū quorūdam amentia, peruersē ingenijsorū hominū, qui verē philosophiē simul & eius auctoribus ac βιλαγωνι bellū ausi sunt, bellū nefarjū nunc nuper indicere. Illos intelligo qui cūm alios veteres plerosq; omnes, tū Aristotelē maximē, summū, bone Deus, virū, & vnicā philosophiæ aquilā: omni calumniarū genere vexare, odiūmq; illi & inuidiā apud minūs catos cautōsq; homines cōflare conati sunt: atq; vtinā conati tantūm essent, nō etiā nunc conarētur. Adhuc enim ardēt flāma illa siue incendiū, quod patrū memoria excitatū, paucis annis per plerasq; omnes orbis Christiani Academias est grassatū. Adeò breui tēpore sese extulēre huius infelicitis arboris rami: adeōq; sophistis istis insanū hoc ausum cessit feliciter: si felicitas ea est appellāda. Sed nimirū, pleriq; hominū, quod Venusinus poëta ait, cerei sumus in vitiū fleti; facilēq; errores & falsas opiniones admittimus, atq; altē in animos demittimus: veritati cōtrā aures forēsque occludimus, & sicut elegāti Græcorū proverbio dici solet, οὐ γεγένθη μή τοι τίνω σύεται. Atq; hæc ratio est, cur cūm pauci sēper fuerint, qui verē philosophiē studia amplectērēt, cōtrā noua ista, tā multos statim quām nata est, sectatores inuenerit, & eos quidē ita cupidos, & amore ipsius ardentes, vt nihil suprà. Dicas immēsum aliquē boni thesaurū naētos esse, qui ei disciplinæ semel nomē manusq; dederūt: ita se, miseri, beatos putant, atq; adeò prædicāt. Quod et si mirū sanē est, & omnibus legitimæ philosophiæ studiosis ex animo dolendū; est tamē quod eos meritō cōsoleatur, ac meliora sperare iubeat: Nā licēt ingēs est quāe ingentē hunc errorē fouet turba: turba tamen profectō est tantūm, & αμύνων ἀσπίπτων, qui nec Sophiæ nec Gratiis litarunt, οὐδε: quos quidē vel melior institutio defecit, vel spes meliora cōsequēdi. Ita enim fato nescio quo cōparatū est, vt in studiis tantūquisq; probet, quātum se posse assēqui sperat. Deniq; vt prudēter de aliis cū Thebanō vate doctissimus Galenus ait, καλός οὐ πάντως, οὐδὲ παντὸς εἰπεῖται. Nam cordatis quidem viris, & liberaliter educatis, quōsque vel ingenij abundantia, vel diligētiæ fiducia ad spē meliorū erexit, cōstanter videmus cūm vniuersam istorū rationē improbari; tū imprimis odio atque execrationi esse immanē illam, vt ipsi appellāt, libertatē, vt res clamat ipsa, licentiā ab animi impotētia summa profectā, qua isti calumniatores Aristotelis passim vñi sunt: quorū libri, si nō famosi libelli potiū sunt appellādi, vele eo nomine dignissimi me iudice sunt qui fiant Ηφαιστεῖον. Nā quid obsecro aliud aut sentire aut dicere possis de iis quos effrēnata quædā maledicendi libido eō euexit, vt summo & facundissimo philosopho, cuius oratio adeò pura, casta, elegans, ac saxe etiā venustatū Atticarū plena est, vt facile quemuis ex Græcis oratoribus possit prouocare; ignorationē Græcæ, hoc est, vernaculæ linguæ obiicere sustinuerint? O insignem hominum prodigorum nominis sui, vt modestissimē dicā, cōfidentiā! Itane verō, in tā eruditō sēculo talia monstra reperi potuerunt? aut si reperta sunt, non statim tanquā interitū literarū breui imminentē portēdētia, in nouas terras deportata sunt, & piacularibus sacris procurata? Pace vestra liceat dixisse, viri Principes, qui Reipublicæ clauū tenetis: ipsi vestra indulgentia nō philosophiā tantūm, sed omnia omnium scientiarum studia itis perditum. Nam si hēc, quā sub falso libertatis nomine toleratur, licentia latiū serpere permittatur, certū est de studiis honestarum disciplinarū ac scientiarū etiā grauiorū aētum esse. Exiguū enim tēporis mediū, & statim, vt quisq; erit impudētissimus, & ad cōsingēdas in veteres auctores calūnias ingenio paratissimo, ita plurimi à misera iuuētute, vt est illa ætas fraudibus sophistarū obnoxia, fiet: is vñus doct̄or præstātissimus habebitur: vñus ceu munere diuino terris concessus, coletur: denique vñus ille erit qui deturbatis, tanquam senibus aliquibus depontanis, de gradu suo veteris sapientibus, quos tot anteactorū sacerdorū auctoritas cōprobauit, tot doctissimorū virorū iudiciū cōfirmauit, vacuā eorū possessionē occupet. Lōgē verō fallimur, si futurū putamus, vt hac fini istorū stet audacia: nā vt principia se dant, non est dubiū quin qua temeritate in Aristotelē, Platonē, Ciceronē, aliōsqt; doctissimos viros sunt debacchati; eādē, aut maiore etiā, grauiore certē cū periculo, eos quoque auctores aliquando inuadant, quorū sacrosancta aucto-

P R A E F A T I O.

ritas esse debet, multaq; in iis quæ fixa esse oportet atque ~~aximia~~, innouent: nolo enim dicere, multa iā eos innouasse, aut innouare certè voluisse. Quid enim est tā sanctū, quod audaculi isti contaminare nō ausint? quos quidē palā & passim audire est gloriātes, quasi soli post homines natos reperti sint, qui sciētias & disciplinas omnes via & ratione aliis possint tradere. Tāta est vanorū hominū vanitas & ~~anomia~~: qua quidē re meū sēper iudiciū fuit, nullā esse pestē humano generi perniciosiorē. Quibus de causis clarissimos doctissimōsq; viros. qui vbiique locorū sapiētiae puriorisque philosophiæ simul & politioris literaturæ studiis delectantur, etiā atque etiā rogatos obtestatōsq; velim, vt quo pauciores sunt qui verā philosophiæ viā, arduā illā quidē primo aditu & salebrosam, sentibus etiā ac vepribus obsitā, sed per quā ad suauissima loca & amoenissima Tēpe mox peruenitur, insistūt, eo fortius ipsi & animosiūs in præclaro instituto suo persistere velint: & vt cū exēplo suo adolescentibus honestissimis, quorum simplicitas sophistis istis quæstui est, præant, inque rectā viam eos reducant: cum verò auctoritate etiam sua insanos corū conatus infringant, qui philosophorum titulū & nomē sibi arrogantes, germanam philosophiam funditus extirpare, & fidelissimos eius doctores ex animis & manib⁹ studiosorū hominū excutere atque extorquere omni opere adnitūtur: sua denique nauitate, industria, & solertia, cū philosophiā ipsā augere & illustrare; tū principū philosophorū Platonis & Aristotelis scripta pene diuina, & aduersus recētes istorū aliotūq; his similiū calumnias, defendere, & à priorū s̄eculorum barbarie magis magisque vindicare pergent. Sanè enim nulla ratio est, nulla, inquā, qua omnes omniū sophistarū conatus facilius retūdi possint, quām si viri summi, quales nunc quoq; reperire liceat, suam industriā & ingenii aciem, ad verā philosophiam illustrandā, & aurea veterū philosophorum scripta suo nitori penitus restituendas erit & sedulō cōtulerint. Nā id quidē parum dignē adhuc à doctissimis viris, qui post veluti renatas literas vixerūt, præstitum esse, vel noua hæc Aristotelis, vt de Platone nihil nunc dicā, editio, planum testatūmque faciet: quæ cū eo cōsilio ab optimis viris & iuuādæ rei literariæ cupidis esset suscepta, vt cum Græco contextu fideliorū ac politiorū interpretum versiones coniungerētur: vbi ad rem ventū est, piget dicere quām pauci libri ita tractati à nostris hominibus & conuersi reperti sint, vt non adhuc eruditī alicuius, & industrij, nauique interpretis operam manūque desiderent. Ergo agite, doctissimi viri, qui quantum adhuc in hoc philosophico agro operis faciūdi superfit, probè cognitū habetis, tanto operi vos accingite, eique manum ipsi quoque admouete: aut si iā admouistis, quod spes est factū esse à quibusdam è vobis, qui nunquam nisi serō expectationi quam de se pridem concitarūt, satisfacent; nolite, obsecro, doctissimos vestros labores verę philosophiæ candidatis diutiūs inuidere. Vtinam verò, quod patrum nostrorū memoria fuit in Anglia, etsi irrito conatu, à tribus viris, Latomero, Grocinio, & magnō illo Thoma Linacro institutū, vt ad illustrandā Aristotelis philosophiā, & vertēdos denuō eius libros, societatem iucundissimi & fructuosissimi laboris inirēt: id, inquā, ô vtinā nostra hac ætate vigiliis & industria doctorū qui nunc sunt virorū, & magni alicuius Principis liberalitate effectū liceat videre: Dux nāque & auctor opus est: bonus nimirū aliquis & literatū ac boni publici amans Princeps, cuius auspiciis tam præclarū & verè regiū opus institui ac perfici possit. Quod bonū immēsum dū adhuc expectatur, fruātur interea homines Aristotelis amantes hac librōrū eius editione: Ad cuius expolitionē cū ab amicis viris qui eam curarūt, etiā atque etiā rogatus essem velut symbolā conferre: etsi etiam iis adminiculis parum suffultus, quāt ad tantum opus desiderātur, feci tamen non inuitus, vel vt amicorum hominū voluntati, adeò pr̄fertim honestæ, obsequerer, & quo possem modo de tanto scriptore eiusque studiosis bene mereret, vt operam aliquam in recensendis ipsius scriptis ponerem: & cū variantis scripturæ diuersitates, quas vel editionum collatio peperisset, vel aliquot veterum codicum, qui mihi ad manum erant, tum meas etiam locorum aliquam multorū emendationes, ad oram libri annotarem. Quo in negotio (haud sanè ita facilī ac nasutulis quibusdā scio videri, qui cū sint ipsum ignavum fuci pecus, nihil aliud quām alienæ industriæ monumenta dente Theonino rodere, & liuoris atramento norunt perfundere) etsi nō plus temporis est impensum, quām quantum partim operę vix aliquando interiungentes, partim aliæ occupationes nobis concedebant: spero tamen non defuturos gratos homines, qui nostro hoc labore se adiutum iri fateantur: ac proinde gratiā nobis aliquam habeant. Is enim auctor est Aristoteles, quem vel minūm iuuisse aliquam fortasse laudem mereatur: nedū tot locis emendasse, quot sunt à nobis partim librorum ac vet. interp. ope, partim alia ratione correcti, & in integrum restituti; fœdè in omnibus edit. ne ea quidem excepta quæ nuper aberuditissimis hominibus est profecta, deprauati. Quamobrem vnum illud certè assolutū me spero & confido, nemo vt inueniri queat cuius animus tantis inuidiæ angustiis cōtineatur, quin nostrum hoc in Aristotelem studium, & qualemcunque ei nauatam impensamque à nobis operam æqui bonique consulat, & benignè interpretetur. Et verò, quod præfiscinè diū sit, non ita de nostris studiis desperamus, vt non maiora his, & polliceti ~~an~~ ~~an~~, & fauēte diuina eiusdem clementia, suo etiam tempore reapse præstare, atque in communem seueriorum Musarum sacris operatæ iuuentutis utilitatem, euulgare possimus. Vale lector, Ex muso nostro, Idibus Martiis. C I O. I O. X G



GVILLELMVS DV - VALLIVS

LECTORI PHILOSOPHIÆ STVDIOSO.

NEOPTOLEMVS apud Ennium philosophari sibi ait esse necesse, sed paucis. Nam omnino, haud placere. Sententiam hanc non planè probat M. Tullius, qui cùm necesse sibi arbitretur philosophari; Nam quid possum, inquit, præsertim nihil agens, agere melius? Non tamē paucis, ut ille: Difficile enim est in Philosophiâ pauca esse ei nota, cui non sint aut pleraq; aut omnia: Excusat tamen mox vitam actuosaam aliisque distraetam curis: Sed in vita, inquit ille ipse, occupata, atque, ut Neoptolemi tum erat, militari; pauca ipsa multum sape prosumunt, & ferunt fructus. Rectè id quidem & sapienter. Sic enim licebit omnibus philosophari; Otiosis quidem, ut Sacerdotibus olim Ægyptiis, atque etiamnum iis qui nec Republicæ nec quæstui vacant, liberalius; sed hi sunt perpauci: Occupatis verò, qui longè plures, parcìus. At prodesse pluribus, est sanè præstabilius. Bonum quippe quo communius, eo melius. Præterea seruendum scenæ & temporis, suisque hominibus. Quod si philosophari commodum est & salutare, liberisque hominibus dignissimum, qui sese à profanâ plebe, vt à bestiâ, solius Philosophiæ (quo nomine scientiam & virtutem intelligo) ope secernunt; profecto ea potius attingenda est ac velleuiter degustanda, quām omnino relinquenda: cui scilicet ut honestæ ac formosæ virginis vel vnum osculum libare multo sit iucundius & glorioius, quām viliores illas artes etiam totas complecti. Est hoc sæculum ut viuacissimorum ingeniorum ferax, sic & compendiorum, ac breuitatis amantissimum: Ut non absurdè possit vetus illud verbum usurpari, nostris hominibus πάτερ τοῦ μου παύπερις. Fuit sanè & olim amica breuitas, odiosa prolixitas. Laudata fuere parua Phidiæ sigilla, vascula Mentoris, formicæ eburneæ Callicratis, nauis & quadriga Myrmecidis, quarum hanc cum aurigâ, alis suis musca intergebat, illam apicula pennis abscondebat. Sed nunc pæne omnes breuitatem adoramus, & quasi præcepto Virgilij auscultantes, Laudamus ingentia rura, exiguum colimus: magna volumina miramur, sed compendia sectamur. Nec fortè immeritò, ipsâ scilicet nos veluti commonente naturâ, quæ nusquam magis, vt dixit Plinius, quām in minimis est tota: ita ut hominem ideo Principem suum agnoscat, quod ipse sit magni mundi rerumque omnium breue quoddam compendium. His causis incitatus, Lector beneuole, hanc Doctrinæ Peripateticæ Analyticam Synopsin instruxi & adornaui, vt nempe paucis, & clarè minimoque etiam labore philosophheris. Hoc, inquam, efficere conatus sum, ne scio an præstiterim. Quod si præstare non potuerim, satis mihi est si viam primus monstrauerim. Saltem aliquâ ex parte profuero occupatis. Sed & ut amantes, quæ possidente nequeunt, imaginibus imitantur: sic qui scientias amant, & sapientiæ sunt cupidi, quam tamē ampliorē non licet κατ' οὐχίω obtinere, hac nostrâ Synopsi tanquā philosophiæ Tabellâ, eam utrumq; tenebūt & assequētur. Imò verò & lāpadē quasi è pharo iis præferet nostra illa Synopsis, qui Aristotelex Sapientiæ amplissimū Oceanū optant traiicere, atque eius arcanos fontes lustrare ac perscrutari: quæ nimis nūc Leucorhea illa Homerica Vlyssi nigrum pontum trananti, velum substernat clarioris cuiusdam & expeditæ commentationis, ac perspicui si non florentissimi sermonis. Quid si & profutura sit doctioribus, & iam Philosophiâ imbutis, saltem in memoriam? Etenim grauissima illa Philosophiæ theorematâ nisi subinde repetantur, facile ex animo aliis præsertim rebus occupato elabuntur & auolant. Ego hoc fine feci, Lector candide, qui tibi, uno veluti conspectu, omnem Aristotelis Philosophiam exhibeam, & per argumenta breuiora complector. Tuum est, si placet, oblatum vltro munus non parui sanè laboris / experiatu*r* qui volet, palma in medio posita est, *ιδοὺ πέδος, ιδοὺ τίθυνται,*) æquo animo excipere, iisque, si vis, commodis frui, quæ præcipua ex Aristotele expe&tantur. Ne igitur diu te in hoc limine morer, qui scias in ianuis loqui nefas olim fuisse, accipe paucis omne consilium meum.

Aristotelis opera omnia, librosque quotquot extant, etiam qui a scriptitij sunt ac spuri, mēa Synopsis sigillatim & suo ordine complector: sed eos decurtatos & in compendij formam veluti reductos. Explico perspicuè & breuiter sententiam & decretu*r* Aristotelis. Tango celebriores controversias & illas θεωρήσω, διηγείσθων εκ σειρας δοξας. Dissero pro rerum naturâ modò breuius, modò copiosius: ita ut quæ partes sunt Philosophiæ principes, eas vberioribus scholiis persequeatur: quæ minoris notæ, attingam tantum, ac fere per periodas, atque, ut magnas vrbes Gographi solent, per minima puncta de-

signem. Aperio quidem ut possum luculentē, obscuriora & grauiora, sed seruatā semper quam *Synopsēs* ratio depositit, breuitatis lege. Quamquam videar fortassis, cūm ceteros libros duntaxat recensem, posuisse commentarios ad Isagogen Porphyrij, ad Categorias Aristotelis, librōsque alios organi Logici: & ampliores adhuc ad libros octo Physicæ auscultationis, quatuor de Cœlo, duos de Generatione & Corrupt. quatuor Meteororum, I. De Mundo, tres de Animâ, I. De Sensu & Sensili, I. De Memoriâ & Reminiscentia, I. De Somno & Vigilia, I. De Insomniis: item ad libros X. Ethicorum Nicomachiorum, & ad XIV. Metaphysicorum. Tandem vberrimos ad VIII. Politicorum. Sed nullum tamen relinquo libellum sine sua quasi tesserā & argumento. Iterpono etiam meum de quibusdā libris iudicium, & quasi adhibitā censurā à legitimo aliorum catalogo sepono, ut librum de Mundo ad Alexandrum (licet eum citet Stobæus ut Epistolam Aristotelis ad Alexandrum) lib. de Spiritu, lib. de Mirabilibns auditibnibus, Fragmentum de iis quæ sub auditum cadunt, lib. secundum Oeconomicorum, duos de Plantis, quatuordecim de Secretiore parte Diuinæ Sapientiæ, secundum Ægyptios, quos non esse Aristotelis perspicuè doceo; cūm interim eosdem suis etiam argumentis in gratiam scilicet Aristotelis, cuius nomine circumferuntur, illustrauerim. Sed & quatuor postremos Metaphysicorum libros nouâ serie dispono, illōsque duos, qui hactenus habiti sunt vndecimus & duodecimus, facio decimumtertium & decimumquartum; & contrà, duos alios qui crediti sunt decimus tertius & decimus quartus, vel etiam quia nonnullis ab ordine Aristotelicorum expuncti sunt, suis locis natalibūsque restituo: neque tantum demonstro verè esse Aristotelicos, sed & tali serie ac loco debere disponi, eumque à me restitutum ordinem reuerâ sic ab Aristotele fuisse præstitutum. Et quia Aristoteles vir alioqui summus & incomparabilis lapsus fere est in rebus Anatomicis, & partium corporis humani descriptione, *Anthologiam* ideo *Anatomicam* ex magni Hippocratis & Galeni peritiorūque Medicorum scitis & doctrinâ plexam, eamque perbreuem appono, quasi Appendicem ad libros de Animâ, de Sensu & Sensili, de Historiâ, Partibus & Generatione Animalium, ut scilicet diuina illa & mirabilis *euæ.θyj.*, & structura corporis humani, eiisque particulæ omnes tibi certius innotescerent, & ab iis caueres erroribus, licet rarissimis, in Aristotelis textu, de regio vnius cordis principatu, ortu venarum, & nerorum, principio sensus, sanguinis & motus. Præterea verò rerum præcipuarum quæ ab Aristotele tractantur, Græca vocabula, atque interdum sententias integras ex ipso contextu collectas ad margines *Synopsēs* sèpius adnoto. Denique vniuersam *Synopsin* meam distribuo in duas summas partes. Prior est Præfatio & Apparatus quidam siue Manuductio ad Philosophiam Aristotelis, ipsamque *Synopsin*, vndecim comprehensa dissertationibus, vbi de Philosophiâ eiusque definitione, subiecto, diuisione, origine, fine, & Catholicis quibusdam documentis, de Sectis Philosophorum, de Methodo, ingenio, & libris Aristotelis. Posterior est ipse commentarius, isque perpetuus in omnes Aristotelis libros, pro cuiusque ordine. Sed posteriorem hanc partem facio iterum duplē, iuxta duorum Tomorum diuisiōnēm. Prima cāque vberior & amplior est in libros priore Tomo comprehensos; altera in ceteros, qui posteriore Tomo continentur.

Atque hæc sunt, Lector Erudite & beneuole, quorum Te in ipso operis ingressu ac vestibulo visum est admonere, ut scilicet antequam vterius progredereris, quid à me in postrem hac omniumque ornatissimâ Aristotelis editione præstitum esset, priùs intelligeres. Quod licet fatear esse exiguum (*Synopsis* enim est, non plenior Commentarius) non me tamen planè lusisse operam existimauero, si exemplo meo veluti classico quodam, viros eruditos eximiōsque huius ætatis Philosophos (quos cūm alibi gentium, tum maximè in Parisiensi Academia ceterarum principe, scio esse non paucos) incitauero ad summum illum Philosophiæ Dictatorum *Aristotelem* ornatiūs vberiusque expoliendum ac illustrandum. Bene vale lector humanissime. Datum Parisiis Idibus Novembbris, Anno redemptionis humanæ 1618.



ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ,

ΒΙΟΣ ΚΑΤΑ ΔΙΟΓΕΝΗ ΤΟΝ ΛΑΕΡΤΙΟΝ.

ARISTOTELIS

VITA Auctore DIOGENE LAERTIO.

Interprete Isaaco Casaubono.

ARISTOTELES filius fuit Nicomachi & Phæstiadis, patria Stagirites. Nicomachus autem, à Nicomacho Machaonis filio, cui pater Æsculapius, originem traxit, teste Hermippo in libro De Aristotele: fuitque Amyntæ Macedonum regi familiaris, quippe amicus eius simul & medicus. Fuit Aristoteles vñus ex omnibus Platonis discipulis, qui præceptoris doctrinam optimè imbiberet: in loquendo balbutiens, ut Timotheus Atheniensis ait in libro De virtutibus. Crura etiam habuit gracilia, vt aiunt, oculos paruos: veste vrebatur eximia, annulos gestabat, comam tondebat. Filium quoque Nicomachum nomine ex Herpylide pellicie sustulit, teste Timotheo. A Platone adhuc viuente defecit: itaque dixisse illum aiunt, Aristoteles calce nos petiit, vt pulli solent matrem, ubi sunt in lucem editi. Refert Hermippus In virtutibus, dum Aristoteles legatione fungitur, ab Atheniensibus ad Philippum missus, Xenocratem interea scholæ quæ fuit in Academia, scholarcham factum fuisse: Illum igitur reuersum, cùm videret scholam eam ab alio occupatam, ambulacionem quæ in Lyceo erat; sibi delegisse; atque ibi solitum ad eam usque horam quæ unctio erat dicata, deambulando, cum discipulis suis philosophari: unde Peripateticus fuit appellatus. Alli scribunt, Aristotelem, dum Alexandro, qui recens ex morbo conualuerat, comes

Tom. I.

AΡΙΣΤΟΤΕΛΗΣ Νικόμαχον, καὶ Φαιστίδης. Σπαγγεῖτης. ὁ δὲ Νικόμαχος τοῦ ἀπὸ Νικομάχου τῆς Μαχάρος τῷ Ασκληπιοῦ, κατὰ Φιστινέρων Ερμιππως σὺ τῷ τοῦ Αριστοτέλους τῷ σημερίῳ Αριστοτέλῳ Μαχεδόνων βασιλές, ιατρὸς καὶ φίλου γρεῖα. οὗτος γνωστάτερος τῷ Πλάτωνος μαθητής. πραυλὸς τῶν φωνῶν, ὡς Φιστινέρων Τιμόθεος ὁ Αθηναῖος σὺ τῷ τοῦ Βίων. Διλαὶ καὶ ιχνοπελῆς, Φασίν, εἰς τὴν μικρόμητας, εὐδῆτί τε ὀπιστήμων γεωλόμητος, καὶ δακτυλίους τῇ κευρᾷ. ἔχει δέ [καὶ] ψὸν Νικόμαχον εἶτε Ερμιππίδης τῆς παλλακῆς, ὡς Φιστινέρων. ἀπέστη δέ Πλάτωνος ἐπὶ τούτον. Ὅστε Φασίν σκέψιν εἶπεν, Αριστοτέλης ἡμᾶς ἀπελάγκτος, καταφέρει τὰ πωλέσια γρυπέσια, τῶν μητέρων. Φιστινέρων σὺ τοῖς Βίοις, ὅτι αφεσθεόντος αὐτῷ τοφές Φίλιππον τῷ Αθηναῖῳ, δολερήχτις ἐλύσει τῆς σὺ Ακαδημίᾳ δολῆς Ζευκεράτης. ἐλύσει δὲ αὐτὸν, καὶ δασκάλων τούτος ἄλλω τῶν δολῶν, ἐλέαθα τούτοις τὸν σὺ Λυκείῳ. καὶ μέχρι μὲν ἀλείμματος αἰακτίσθοντα, τοῖς μαθηταῖς συμφιλοσοφεῖν. ὅθεν τούτη τηλεκόν τοφοστρόφη θεῶν. οἱ δὲ, ὅτι σὺ νόσου αφεπάσιντο Αλεξανδρῷ συμπέρων.

2

ARISTOTELIS

ΜΙΕΛΕΓΕΝ άπα. ὅτῳ δὲ πλείον εγένονται, οὐκέτι πάλιν, εἰπών,

Aἰχθόν σωπάν, Ξενοχεράτη οὐκέτι λέγειν.

καὶ τοῖς θεσιν σῶμαγύμναζε τοῖς μαδηταῖς,
άμα, καὶ ρήτορικῶς ἐπασκᾶν. ἔπειτα μέρει
τοι ἀπῆρε τοῖς Ερμείδι τὸν Αἰνοδέντον Α-
ταρκέως ὄντα τύραννον. ὃν οἱ λόγοι φασι πα-
τικὴ γνέσιας αὗτούς. οἱ δέ καὶ κηδονούσας
αὗτοῦ, δόντα τοὺς θυσιατέρους ή αἰδελφίδιοι,
οὓς φοιτ Δημίτρεος οἱ Μάγινοι στοῖς Πε-
ρεῖ ὄμοιούμενοι ποιεῦται τε καὶ συγχραφέων.
οὓς καὶ δούλους Εὔβοιλου φοιτ γνέσιας τὸν
Ερμείδιον, γένος Βιθυνὸν ὄντα, καὶ τὸν δε-
σπότην διέλεγοντα. Αειστόπος οὐ στοῖς πα-
τροφότῳ αὗτοῖς παλαιᾶς πευφῆς φοιτον, ἐργ-
αθῆσαι τὸν Αειστέλην παλλακίδος τῷ Ερ-
μείδιον. τῷ δέ συγχρηστος, ἔγημε τε αὐ-
τοῖς, καὶ ἔθνεις ταρχαρίων τῷ γυναικι, οὓς
Αθηναῖοι τῇ Ελευσίνῃ Δημίτρεοι. τοῖς το-
Ερμείδια πατρῶνα ἔχοντας, οὓς ἔνδον γέγρα-
ψαν. αὐτούς τε γνέσιας στοῖ Μαχεδονίας
τοῦ Φιλίππων, καὶ λαβεῖν μαδηταῖς ποτέ^{το}
αὗτοῖς τὸν γὸν Αλεξανδρον, καὶ αὐτοῖς διά-
ποστας αὗτοῖς πατεῖδα, καταποκαφεῖσθαι
τοῦ Φιλίππου, καὶ τυχεῖν. οἷς καὶ νό-
μοις διένει. Διὰ τοῦτο καὶ στοῖ τῷ δολῇ νομοθε-
τεῖν, μημονίδην Ξενοχεράτην, οἵστε καὶ
δέκα ημέρας δρόχοντα ποιεῖν. ὅτῳ δέ εδδέ-
χει θητικῶς αὗτοῦ συγχρησταῖς Αλεξανδρῷ,
ἀπῆρεν εἰς Αθηναῖς, συνθοῖς αὗτοῦ τοῖς συγ-
χρηστοῖς Καλλιθέην τὸν Ολαύθιον. ὃν καὶ πρό-
ρηστασικώτερον λαζανῶτε τῷ βασιλεῖ,
καὶ μὴ πειθόμενον αὗτοῦ, φασὶν θητηληξό-
τα εἰπεῖν.

Επιστολ. 6:

Ωκύμορες δὴ μοι τέχος ἔστει, οἵ τινεις.

καὶ δὴ καὶ ἐγένετο. δόξας γάρ Ερμολάῳ
